✠

EMINENTISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI.

FR. Michael Angelus à Gallipoli Procurator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Reformatorum Orator humillimus EE.VV. supplicitèr exponit, quatenùs recentèr à Sacra Rituum Congregatione concessa sunt quædam Sanctorum Officia, alia Urbis, & Orbis, alia aliquibus Regnis, Ditionibus, statibusque peculiaribus recitanda, tùm à Sæcularibus, tùm à Regularibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, quæ concessiones exprimuntur his verbis: *Recitari posse, fieri posse*: & cum ex Rubricis nostri novi Breviarii Franciscani approbatis à sa. me. Innocent. Pap. XII. per Bullam, quæ incipit: *Exponi nobis, &c.* statuatur, ut quotiescumque fit hæc expressio *recitari posse, fieri posse*, nihil aliud intelligatur, nisi Officia ad libitum, hinc humilliter petit ab EE. VV. ut dignentur declarare, an prædicta Officia cum tali expressione expressa, si occurrant in die impedita ab aliis Officiis de præcepto Breviarii prædicti, non obstantibus Decretis Sac. Rit. Congregat. de non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum, à nobis possint transferri ad aliam diem, vel debeant omitti. Quam gratiam, &c.

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM REFORMATORUM Sancti Francisci.

SAC. Rituum Congregatio ad preces Patris Fratris Michaelis Angeli à Gallipoli Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci, audito priùs voto unius ex Apostolicarum Cæremoniarum Magistris, declaravit: Prædicta Officia acceptata, si occurrant in diebus impeditis, non reputari debere tamquam mera Officia ad libitum, sed de præcepto, adeòque esse omninò transferenda. Die 6. Septembris 1738. Ita reperitur in Regestis Decretorum Congregationis Sac. Rituum. In fidem J. Cærvinus Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius. Loco ✠ sigilli.

Extracta est præsens copia ex transumpto authentico de alma Urbe transmisso, existenteque in hac Secretaria Generali Ordinis, ad quod me refero, & cum quo fideliter colationata, in omnibus concordat, & in fidem subscribo, sigilloque minori officii munio in hoc Regali Conventu S. Francisci Matritensi die 20. Januarii 1745.

Fr. Eugenius de Olozaga
Secret. Gen. Ordinis